


05
A
2288





I
N
M
M



בשם ה' הקב"ה:
DE

PONTIFICIO-
RUM RITU CON-
SECRANDI SANCTOS,

DISSERTATIONEM,
Adspirante Numine Sanctissimo,
in

Illustri Leucoreâ,
PRÆSIDE

M. LEVINO FRID. WERNECCIO,

MARCH.

publicæ placidæq; Eruditorum συζητησες
exhibebit

RESPONDENS,

NICOLAUS CONRADUS BZESSI

Weiffenseensis Thuring.

A. D. I. Junii, horis antemerid.

Anno M DC. LXXVIII.

In Acroaterio Collegii Veteris.



WITTEBERGÆ,
Literis JOHANNIS WILCKII.



05 A 2288





: 𐤀𐤅𐤂
DE

CONSECRATIONE SANCTORUM.

Regula est, in Scholis Philosophorum aliàs
tritisima: *Quod quis non habet, alteri
communicare non potest*; contra quam to-
ties Papa Romanus peccat, quoties defun-
ctos consecrare, inq; sanctorum numerū
referre audet. Dicunt quidem Romanen-
ses, Papam hac in re errare non posse; verūm, quis tam
demens erit, ut credat? dudum experientia contrarium
est testata. Proinde, qui sanctitatem apud Romanum Pon-
tificem inveniri putat, & huic cōsecrandi, vel inter sanctos
referendi ius tribuit, is perinde facit, ac si quis in prosti-
bulo inter lenones pudicitiam qværat, aut in loco foeti-
dissimò abluui velit. Nos itaq;, dum de hac Papicolarum
consecratione paucis acturi sumus, ut labor noster felici-
ter eveniat, Deum obtestamur!

I. Anteqvam autem rem ipsam aggredimur, non inconve-
niens esse existimamus, si de origine consecrationis nonnulla
præmittantur. Observamus autem hîc, ritum hunc Gentilibus
suos debere natales. Hi enim Imperatores suos, aliosq; qui vivi
Reipublicæ vel præfuerant, vel magna officia præstiterant, post
mortem in numerum Deorum collocabant. Hinc *Justin Martyr*
ad Antoninum: *Cur morientes apud vos Imperatores, inquit, sem-
per immortalitati consecrare dignamini, producetes quempiam, qui
jurejurando confirmet, vidisse se è rogo in cælum adscendere ardentē
Cesarem?* imo, eò tandem res apud gentiles rediit, ut à Senatu
Romano legibus sit cautum, ne cuiquam Imperatori integrum sit,
A Deum

Deum quempiam creare, nisi expressam prius Senatus Romani obtinuerit voluntatem: factum inde, cum *Pilatus Tiberium* scripto edoceret, quanta Servator Christus designaret miracula, divina, planeq; stupenda, atq; *Tiberius* eam ob causam Christum in numerum Deorum referre vellet, ut prohiberet hoc Senatus Romanus, quod *Tiberius* sine consensu ipsorum iam divinos Christo honores decrevisset.

II. Eleganter quoq; de hac gentiliū consecratione differit *Lactantius Lib. 1. instit. de falsā Relig. cap. VIII. p. m. 31. Quomodo ergo, inquit aliquis, dii crediti sunt? nimirum, quia Reges maximi ac potentissimi fuerunt, ob merita virtutum suarum, aut munerum, aut artium repertarum, cum chari fuissent iis, quibus imperitaverant, in memoriam sunt consecrati. Et. cap. XV. Non est dubium, quin illis temporibus homines Regem ipsum, totamq; gentem summis laudibus ac novis honoribus iactare cœperint, ut etiam Deos appellarent, sive ob miraculum virtutis, sive in adulationem presentis potentiae, sive ob beneficia, quibus erant ad humanitatem compositi. Deinde ipsi Reges, cum chari fuissent iis, quorum vitam composuerant, magnum sui desiderium mortui reliquerunt. Itaq; homines ipsorum simulacra finxerunt, ut haberent aliquod ex imaginum contemplatione solatium. progressiq; longius per amorem, memoriam defunctorum colere cœperunt, ut & gratiam referre benemeritis viderentur, & successores eorum allicerent ad bene imperandi cupiditatem &c. Quæ perversa consuetudo, quanquam bonâ intentione à gentilibus quondam fuerat, suscepta ob idololatriam tamen meritò est damnanda, atq; optandum, ut æternâ sepeliatur oblivione. Verùm, quemadmodum durum est, longam corrigere consuetudinem ita etiam hæc idololatria, postquam semel radices egerat, majora subinde acquisivit incrementa nam in hunc usq; diem ea viget. De Persarum Rege *Cluver. in Germ. Antiq.* refert (ut alias gentes præteram) quod pro Deo colatur à suis, adpelleturq; Dominus, qui cœlum & terram fulciat sustineatq; Sed, utinam illi immunes essent ab hac idololatriâ, qui titulo Christiani superbiunt! Pontificii certè hac in parte Persis nō cedunt. Ecquis enim ignorat, quantam hi in Pontifice suo communiter admirentur sublimitatem atq; sanctitatem, quantamq; eidem tribuant potentiam in cœlum atq; terram, dum persuasi sunt, necessarium esse ad salutem*

salutem, ut aliquis credat, Papam errare non posse, ideòq; nulli licitum esse eidem contradicere, si adhuc alios creet sanctos, eosq; Patronos atq; mediatores, ab universo populo invocandos, constituat.

III. Tales itaq; hac in parte antecessores habent Romanenses, à quibus suam mutuaverunt idololatriam, quorumq; vestigiis adhuc hodiè insistent. Fatetur hoc *Polyd. Verg. de invent. rerum*, quando *lib. IIX. cap. XII. p. m. 511.* scribit: *Ut verò mortales benemeriti inter Deos referantur, mos est adeò vetus, ut penè nihil sit eò vetustiq; quando antiquitas statim ab initio suos Reges, ac alios, cum ob accepta beneficia, tum ob virtutes Deos facere consuevit. &c. Hujus rei rationem Pontifices nostri secuti, non dubitant videri possunt nam quod Felix & Gregorius annua sacra facienda ad memoriam martyrum instituerunt, illud planè aliud nihil fuit, nisi eos martyres discernere esse sanctos & inter Deos referre.* quanquam in eo à gentilibus prudentioribus in diversum abeant, quod hi politicum saltem diis suis ab initio tribuerint honorem, sc. *ut gratiam referre benemeritis viderentur, & successores eorum allicerent ad benè imperandi cupiditatem;* qui tamen honos successu temporis in divinum apud eos, præsertim apud imperitiores, degeneravit cultum. Pontificii verò, non subsistent in honore politico, qui tolerari possent, sed divinum idolis suis consecrant cultum non quidem semper pietatis, sed lucri causâ sæpiùs, si enim certa pecuniæ summa dependatur, non solum peccata omnia plenariè remittuntur, sed & in sanctorum collegium aliquis recipitur. Quæ Pontificum avaritia etiam fecit, ut multi in Papatu sine discrimine inter sanctos sint relati, quorum alii turpissimis fuerunt iniquitatis vitiiis atq; in inferno sepulti sunt, fatente ipso *jure Canonico*: alii nunquam in rerum naturâ extiterunt, & tamen sanctorum catalogo adscripti, divino apud eos adficiuntur honore. Sic coelum in Papatu venditur pecuniâ præsentis, quo ipsi tamen destituuntur venditores. Nam *Rome auro venalia sunt omnia.*

IV. Ex dictis itaq; constat, à gentilibus ritum sanctos consecrandi esse mutuatum, hi enim illos, quibus benè cupiebant, non solum in divorum referebant numerum, sed etiam cultu prosequerentur religioso. Huic tamen sententiæ novellus quidam Scriptor *P. Marc. Schöneman / Jesuita Erfurt, im Catholischen*

Zeughaufe p. 222. sese opponit, atq; magno contendit conatu,
 ethnicam illam superstitionem ab Ecclesiâ Romanâ remove-
 re, quando dicit: die Henden baten und schrien also/ô Gott Jupiter/
 hilff mir aus der Noth/&c. lauten der Catholischen Gebeth auch
 so? ja wol nicht. wie dan? also: du diener des Allmächtigen Gottes/
 Andreas &c. bitte Gott für uns/wer ist so blind/das er nicht den
 unendlichen unterschied zwischen den Henden / und denen Catho-
 lischen Christen vermercke? Verum, si accuratè rem mecum per-
 pendo, nullam sanè video differentiam inter cultum gentilium
 atq; Papicolarum. Omnem itaq; perdit ruborem P. Schöneman/
 dum impudenter, contra cotidianam experientiam, sociorumq;
 suorum confessionem negare audeat, Ecclesiam Romanam Gen-
 tiles hoc in negotio imitari. Nonne æqvè, ut gentiles suos Dæmo-
 nes, Pontificii sanctos suos invocant, ut nostri sint advocati, pro
 nobis intercedant, preces nostras ad Deum perferant, ab eo veni-
 am nobis impetrent, nosq; à malo liberent? imò, si dicendum,
 quod res est, Pontificii hoc quidem in negotio gentilibus deteri-
 ores sunt; *Platonici* enim, si *Plutarcho* fides est habenda, *Dæmones*
 suos, quos fingebant, diis faciebant inferiores, Pontificii contra
 sanctos suos Deo pares, imò superiores faciunt. *De Maria* enim
 dicunt, eam Christo imperare posse, ut nos exaudiat, *quia est ma-*
ter Imperatoris cælestis, ideò super ipsum materna autoritatis impe-
rium habet, & potest sibi, tanquam mater filio imperare.

V. Cultus autem iste divinus sanctis non tribuitur ante
 consecrationem à Pontificiis, sed postquam à Papâ solenniter ca-
 talogo sanctorum sunt annumerati, tunc demum iis confertur.
Bellarminus interim concedit, privato cultu ante sublimationem
 eos honorari posse. Primum autem, qui hanc sublimationem in-
 stituit, *Leonem III.* fuisse, idem putat *Bellarminus de beat. Sanct.*
 qui *S. Svibertum* solenniter catalogo sanctorum confessorum ad-
 scripsit pridie Nonas Septembris. Olim cuilibet Episcopo in aliquâ
 provinciâ particulari licitum erat, sanctum sublimare, etsi in aliis
 provinciis ille omninò esset ignotus; verum, istud est nunc ab-
 rogatum per *Alexandrum III.* & postea per *Innocentium III.*, qui
 varios videntes abusûs circa consecrationem sanctorum, statu-
 erunt ut nulli mortalium posthac divinus honor in terris exhi-
 beretur publicè; nisi illi, qui prius ex edicto Apostolico divorum
 logo

catalogo esset adscriptus, fatente *Polyd. Verg. de invent. rerum lib. VI. cap. VIII. p. 512. Bellar. de beat. Sanct. Holdero in mure exent. p. 111, 112.* Accidit enim, tempore *Alexandri III*, ut quidam hominem in ebrietate occisum pro martyre colerent, et tempore *S. Martini* sepulchrum extitit, in quo Martyris cujusdam ossa quiescere, ex veteri traditione ferebatur, ubi & altare positum, magnaq; populi religione frequentatum. Quoniam autem sanctus ille Pontifici, *S. Martino* suspectus erat, anima illius, qui pro Martyre à populo colebatur, orante *Martino* apparuit (*si credere fas est,*) & confessa est, se animam damnati esse cujusdam latronis, qui pro sceleribus suis extremi supplicii poenas in inferno lueret. Imò, non solum damnatos, sed etiam canem mortuum *Vienne* quondam fuisse adoratum, testis est *Holderus l. c. p. 113.* Ut itaq; omnis error atq; abusus circa consecrationem atq; cultum sanctorum vitaretur, solus *Pont. Rom.* postea sibi ius sublimandi vendicavit, quippe, qui secundum placita Papicolarum infallibilis est, nec in rebus fidem concernentibus errare potest, scilicet!

VI. Porro nobis hic observandum venit, ritum sublimandi non lege aliquà, sed consuetudine esse introductum; quæ consuetudo tamen, ex approbatione tacitâ, vel expressâ summi Pontificis, successu temporis vim legis obtinuit. Antequàm verò aliquis sanctus consecratur, jejunia indicuntur atq; preces publicæ. Putant enim Pontificii, credibile non esse, Deum non adesse Ecclesiæ suæ, (*in hac idololatriâ*) præsertim sic dispositæ. (*perinde, ac si fur vel latro, ante furta vel latrocinia jejunare atq; preces fundere vellet, pro felici aliquo successu!*) Deinde, præcedentia multa miracula (*rectius præstigia*) quæ facta sint à sanctis, docere, Pontificem esse infallibilem. Papa enim unicum ipsorum est effugium ad cujus infallibilitatem, tanquam ad sacram anchoram confugiunt, si nulla aliàs via elabendi conceditur. Verùm Papam Romanum errare posse, probatur exemplo *Hermanni Ferrariensis*, qui procul dubio legitimo modo sublimatus & in catalogo sanctorum receptus fuit. Hic per 30. annos pro sancto habitus est, postea autem è catalogo sanctorum ejectus, ossaq; ejus jussu *Bonifacii IX.* combusta sunt. Vixit autem *Bonifacius IX.* sub finem seculi XIII, circa annum XCIV, cum *Alexander III.* seculo XII, circa annum LIX, & *Innocentius III.* eodem seculo, circa annum

num XCIIIX. vixissent, qui decreverant, ne aliquis pro sancto coli inciperet sine *Pont. Rom.* approbatione. Ab eorum itaque tempore jus consecrandi sanctos apud solum *Pont. Rom.* fuit. Miracula autem quod concernit, illa, si vera miracula sunt, à solo Deo fieri possunt, *Pf. LXXII, 18. CXXXVI, 4. Job. III, 2.* quia virtutem supernaturalem requirunt. Non itaque cum mendaciis atque praestigiis Papicolarum confundenda veniunt; hi enim saepe miracula fingunt. Accedit porro iudicium *Bellarmini*, qui hac in re egregie sibi contradicit, dum mox docet, miracula praecedentia infallibilitatem *Pont. Rom.* hac in re evincere, mox iterum sui oblitus contendit, ante approbationem Ecclesiae non esse evidens, aut certum, certitudine fidei, de ullo miraculo, quod sit verum miraculum. Si itaque ante approbationem Ecclesiae non de vero miraculo constare potest, quomodo illa indicia sanctitatis atque infallibilitatis esse possunt? imò, hominem quendam in ebrietate mortuum miracula edidisse, ipse fatetur *Bellarminus*, quem tamen *Alexander III.* pro sancto agnoscere noluit, quamvis jam sublimatus esset.

VII. Sed, ut propius rem aggrediamur; requirunt Pontificii ad consecrationem, si legitima esse debeat, varia, quae *Bellarmin. l. 1. debeat. sanctor. cap. 7. § 3.* hoc modo enumerat: Primò, qui canonicantur, inscribuntur in catalogo sanctorum, id est, statuitur ac iubetur, ut ab omnibus publice habeantur ac dicantur sancti. Secundò invocantur in publicis Ecclesiae precibus. Tertiò, templa & ara in eorum memoriam dicantur Deo. Quartò sacrificia tam Eucharistiae quam laudum & precum, quod vulgo officium, sive hora canonica nuncupatur, in honorem eorum Deo publice offeruntur. Quinò, dies festi in eorum memoriam celebrantur. Sextò pinguntur eorum imaginis, addito certo quodam lumine, in signum gloriae, quam habent in caelo. Septimò, eorum reliquiae pretiosis thecis includuntur & publice honorantur. Nos paulò accuratius, quantum instituti nostri ratio permittet, haec excutiemus.

§. IIX. Primum itaque punctum, quod concernit, constituitur illud à *Bellarmino l. c.* inscriptio in catalogum sanctorum, quae inscriptio post obitum demum sancti, illo potissimum die, quo vel morte sublatò, vel martyrio coronatus fuit, solenni ritu peragitur.

peragitur. Inscriptioem autem hanc præcedit publica atq; solennis Pont. Rom. protestatio. Formam protestationis exhibet *Holderus in mure exent. p. 114. è Ceremoniali Rom. lib. 1. sect. 6.* quæ ita habet, *Antequàm ad pronunciationem veniamus, protestamur publicè, apud vos presentes, quòd per hunc actum canonizationis non intendimus aliquid facere, quòd sit contra fidem, aut Ecclesiam Catholicam, sive honorem Dei.* Subsequitur deinde consecratio ipsa, sive Canonizatio, uti barbarè loquuntur, quæ *Bellarmino nihil aliud est, quàm publicum Ecclesie testimonium, de verâ sanctitate atq; gloriâ alicujus hominis jam defuncti, ac simul judicium ac sententia qua decernuntur ei honores illi, qui debentur iis, qui cum Deo feliciter regnant.*

IX. Perficit autem has solennitates Papa Romanus, veste Pontificali indutus, in loco quodam sedens elevato, cum mitrà, quo ab omnibus videri atq; cognosci queat; altàq; voce hunc in modum pronuncians: *Ad honorem sanctæ & individue Trinitatis, & exaltationem fidei Catholica, ac Christiane religionis augmentum, auctoritate ejusdem Dei Omnipotentis, Patris & Filii, & Spiritus Sancti, & beatorum Apostolorum Petri & Pauli, & nostrâ, & fratrum nostrorû concilio, decernimus & definimus, bonæ memoriæ N. sanctum esse, & sanctorum catalogo adscribendum, ipsumq; catalogo hujusmodi adscribimus statuentes, ut ab universali Ecclesiâ anno quolibet, in die tali, festum ipsius & officium sicut pro uno Confessore (si sit confessor) vel Martyre (si sit Martyr,) devotè, & solenniter celebretur.*

X. Quando jam sanctus vel Martyr solenniter ita à Papâ Romano renunciatus est, inscribitur in catalogum sanctorum, atque peculiaris eidem dies adsignatur. *Bellarminus* à primitivâ Ecclesiâ derivare contendit hunc ritum inscribendi sanctos in catalogum Martyrum, quæ in re tamen *Polyd. Verg.* contradicit, qui hunc ritum à gentilibus deducit, uti supra notavimus. Usitata quidem etiam in priscâ Ecclesiâ fuit inscriptio: veteres enim Christiani, in annotandis diebus, quibus Martyres vel per supplicia sublati essent, vel in carcere diem obiissent, valdè fuerunt industrii. Hinc *Cyprianus* presbyteros & Diaconos Ecclesiæ *Carthaginensis* monet, ut dies, quibus martyres decederent, diligenter annotarent; post mortem nomina ipsorum in tabulas Ecclesiasticas redigebantur, in quas nemo recipiebatur, nisi ex consensu Ecclesiæ, ne in easdem irreperet ac porrò natalis ejus celebraretur, qui indignus esset Martyris nomine atq; honore. Pontificii verò non consensum Ecclesiæ ad inscriptionem

B

hanc

hanc requirunt, sed totum negotium Pontifici Romano, tanquam capiti Ecclesiæ relinquunt, ut ille pro lubitu inter sanctos referat, quos voluerit, quem dissensum nec ipsi Pontificii negare possunt.

XI. Secundum Pontificiorum requisitum est invocatio in publicis Ecclesiæ precibus. Persuasum enim iis est, singularem sanctis à Deo esse concessam gratiam, ut preces nostras exaudire desideriaq; nostra ad Deum perferre possint, non quidem, quasi per eos Deus nostras cognoscat petitiones, sed, ut eorum precibus & meritis orationes nostræ sortiantur effectum, ideoq; eos esse invocandos. Quoniam autem credunt, non eandem gratiam sanctis à Deo esse concessam, sed alios in hac, alios in aliâ afflictione salutariter invocari posse, pro diversitate afflictionum officia iuvandi inter illos distribuunt, hanc etiam ob causam cuilibet sancto peculiare conficiunt preces, in quibus desideria sua illis aperiunt, eorumq; auxilium publicè implorant. Cultum autem, quem sanctis suis hoc modo tribuunt, *δσλείαν* vocant, quem distinctum volunt esse à civili, & *λατρεία* soli Deo debitâ. Dicunt enim, excellentiam sanctorum majore esse, quam sit civilis, ideoq; majorem cultum atq; adorationem sanctis deberi, quam hominibus in dignitate civili constitutis, *B. Mariæ* autem, quia inter sanctos eminent, deberi *ὑπερδσλείαν*: *δσλείαν* autem, atq; *ὑπερδσλείαν* proxime accedere ad *λατρεία*, s. cultum religiosum, soli Deo debitum: Verùm, uti hæc sine omni fundamento dicuntur, ita facilè etiam rejiciuntur: cultus enim religiosus non permittit, ut dividatur in majorem & minorem; *δσλεία* autem, quando de cultu religioso in sacris adhibetur, Deo semper, sanctis nunquam tribuitur. Hinc. *Matt. VI, 24.* dicitur: *ὁ δύνῳθε θεῷ δσλεύει καὶ μαμμωνᾷ.* nemo enim potest *δοσὶ κυρίοις δσλέυει*, quod tamen fieret, si sanctis *δσλείαν* appropriare velimus. Accedit, quòd Hebræum *עבד* propriè sit *δσλεύειν*, *servire*; nihilominùs tamen Christus diabolum ex *Deut. VI, 13.* convincens, solum Deum esse adorandum, locum hunc ei opponit, atq; verbum *עבד* per *λατρεύειν* reddit *Matt IV, 10.*

XII. Facilè iterum divinare aliquis poterit, à quibus ritum hunc Pontificii didicerint? inter Christianos fertur primus autor miscendæ invocationis sanctorum inter publicas Ecclesiæ preces, *Petrus Gnaphæus*, presbyter *Chalcedonensis*, postea Episcopus *Antiochenus*; qui decrevit, ut in omni prece Dei genetrix nominaretur, & divinum ejus nomen invocaretur. Quem errorem
procul

procul dubio à gentilibus haufit *Gnapheus*, quorum opinio fuit, Deos non misceri hominibus, & proinde opus esse dæmonibus, & defunctorum animabus, tanquam internunciis & patronis, qui preces hominum ad deos perferant, & inde ad homines impetrata. quæ poscunt, deferant. Sic *Plutarch. lib. de Iside & Osiride Tom. 1. Moral. p. m. 353.* de Platone refert, quòd statuerit, hoc genus inter homines ac Deos interpretum administrorumq; fungi muneribus, quia ab hominibus vota precesq; ad Deos perferant, à diis ad homines oracula, & dona bonarum rerum. Quod si aliquis hæc ad cultum Pontificiorum applicare velit, apparebit, aut nullam, aut exiguam dari differentiã inter sanctos Pontificiorum, atq; dæmones *Platonicorum*.

XIII. Tertium requisitum est templorum & aræ dicatio in memoriam sanctorum. *Polyd Verg. lib. VI. cap. VII. p. 505.* docet, quod idcirco illis templa & aræ dedicentur, ut simul eos, simul Deum debita veneratione colamus, sanctos, ut pro nobis intercedant, Deum, ut exaudiat. Quisnam verò primus hujus rei autor extiterit, non adeò constare, *idem adserit lib. V. cap. VI. p. 413.* putat tamen non aliud antiquius templum ædificatum, aut dicatum, vel ad usum sacrorum fuisse conversum, quam *Rome Thermas Novati*, in vico patritio, quas *Pius Pontifex Praxedis* eximia sanctitatis foemina, rogatu divæ *Pudentiane* ejus sorori consecravit, anno CL ab eo, qui humanæ salutis fuit primus. Erigitur autem templum sanctis, non quidem sub ratione templi, sed basilicæ, ad martyrum reliquias honorificè conservandas, & generatim, ad honorem & memoriam sanctorum, ut, qui ingrediuntur, admoniti imagine ibi depictâ, vel ipso templi nomine, illius sancti, vel martyris recordentur; eumq; in eo loco præcipuè tanquam Patronum colant, & deprecentur. Nam Pontificii invandi officia inter sanctos suos partiuntur, atq; ita pro diversitate afflictionum illis tribuunt potestatem conferendi hominibus bonum, quod alius beatorum non possit, hujus enim officium proprium esse putant, mederi adversus pestem, illius anserum, istius eorum curam gerere: alium quoq; venerantur patronum *JurisConsulti*, alium *Medici*, alium *tonsores*, alium *sculptores &c.* cui totam vitã, omnesq; suas actiones cõsecrant. Hanc itaq; ob causam peculiaris cultus, peculiare templum, vel ad minimum altare cuilibet sancto consecratur, ut qui quadam calamitate afflictatur, sciat, quomodo, & quo in loco sanctorum auxilium implorare debeat.

XIV. Integra quoq; Collegia, totas urbes atq; Regiones san-

Et cujusdam tutelæ committunt Pontificii : Sic *Maria* patrona est *Hungaria*, *Franciscani Franciscum*, *Dominicani Dominicum*, *Benedictini Benedictum* &c. patronum agnoscunt; quibus peculiari se se voto obstringunt, templaq; atq; aras exstruunt. Non solum autem sanctis suis templa consecrant, sed etiam aliis rebus, partim inanimatorum, partim ex proprio cerebello fictis. Sic templum atq; Collegium dicarunt *Ara B. Maria*, quæ, uti ipsi fingunt, è caelo quondam demissa, vel, ut alii volunt; in caelo apparuit tempore *Octaviani* Imperatoris, qui in caelo virginem pulcherrimam, & puerum in brachiis tenentem, super altare Dei vidit, vocemq; simul audivit, dicentem: HÆC EST ARA FILII DEI, ideò templum eo in loco exstructam, vocatur *S. Maria Ara-Cæli*. Vid. *P. Scriveri Res. pub. Rom. p. 572. seq.* Facile iterum probari posset, ritum hunc convenire cum nugis atq; commentis gentilium. Hi enim non solum *Martem* belli, *Vulcanum* ignis, *Æolum* ventorum præsidem constituebant; sed etiam passim varias apparitiones de suis diis recensebant: Præprimis *Platonici* felices fuerunt in fingendis geniis civitatum atq; provinciarum, hi singulis quoq; hominibus peculiare assignarunt genios.

XV. Dies festi quoq; in sanctorum memoriam quovis anno celebrantur in quibus reliquæ ipsorum solenniter circumgestantur, atq; religioso cultu à præsentibus afficiuntur. In festo tali magna solet ex variis terris confluere hominum multitudo. Primum festorum horum autor fuit *Felix I Pont. Rom.* qui, consulens gloriæ martyrum, statuit, ut in eorum memoriam annua sacra fierent, atq; publicè à quolibet invocarentur. Ab illius itaq; tempore illa consuetudo in Papatu obtinuit. Ut autem eò magis homines allicerentur, ad festa martyrum devotè atq; frequenter celebranda, magnis ea successores ipsius exornarunt indulgentiis, quas omnibus verè poenitentibus & confessis, qui annis singulis ad sepulturam martyris in die tali religiose accesserint, ad quamplurimos annos concesserunt. Non autem solum in sanctorum memoriam festa instituunt, sed etiam reliquias sanctorum, & alias res eodem dignantur honore. Hinc celebrant festum inventionis crucis Christi, festum corporis Christi &c. in quo hostiam, quam transubstantiari credunt, publicè, theatricâ pompâ adorandam circumferunt.

XVI. Celebranda hic etiam venit. Summa liberalitas atq; benevolentia nonnullorum Pontificum, qui non solum catalogum martyrum

martyrum insigniter, adhuc variis adauxerunt sanctis, sed etiam solliciti fuerunt, ut cuilibet sancto debitus constaret honor. Cum autem successu temporis magis magisque sanctorum numerus accresceret, ne ullius memoria absque cultu sibi debito prateriret, impensè operam navarunt: Eam in rem à *Bonifacio III.* sancitum est festum omnium sanctorum teste *Dressero defest. p. 167.* ut, sicut in aliis diebus sanctorum singulorum sic in hoc, totius sanctorum chori memoria celebraretur. Fuit autem *Romæ templum Panttheon*, (*omnium deorum*) à gentilibus cognominatum, hoc tempore *Phocæ* restauratum atque conversum est in templum omnium sanctorum à *Bonifac. III. P. Rom.* circa annum, post natum Christum DCIIX. Aliàs in diebus, martyrum memoriæ sacris, vitæ sanctorum, publicè prælegebantur, quas *Paulus Diaconus & Isuardus Monachus* circiter annum salutis DCCC rogatu *Caroli Magni* conscribere cœperant, in quibus martyrum constantia, pietas atque miracula prædicabantur. Tanta fuit, & adhuc est religio Ecclesiæ Romanæ circa cultum sanctorum, ut frequentius, majorique cum reverentiâ videas in sanctorum memoriam festa celebrari, iisque laudem atque gloriam tribui, quam Deo ipsi, unde factum, ut festi festis ex parvis quandoque causis accumulati sint, quæ res etiam cordatioribus in Papatu displicet. Conquereretur jam suo tempore hac de re *Polyd. Verg. l. c. lib. VI. c. VIII. Venit tempus, cum nos potius Cesarum* (atque sanctorum) *quàm Christi solennes ritus celebramus. Faxit igitur Deus, ut Pontifices nostri tandem aliquando istos festos dies utiles reddant! &c.*

XVII. Sed, quanquam quilibet bonus ferè expetat, ut Pontificii tandem aliquando resipiscant; cernimus tamen eorum idolatriam cotidie majora sumere incrementa. Nam sanctorum numerus ita jam abiis est extensus, ut difficile sit, diem festum cuilibet sancto speciatim adsignare. Magnæ itaque interdum sunt subortæ rixæ atque altercationes, dum quilibet contendebat, Patrono suo festum consecrare diem. Exemplo nobis sint *Jesuitæ*, qui, cum auctorem atque patronum suum *Ignatium Lojolam*, etiam catalogo sanctorum adscribere vellent, nec invenirent diem, quem ipsi consecrare possent, è numero sanctorum *Germanum* ejecerunt, inque ejus locum *Lojolam* substituerunt. Cum verò nonnulli, qui *Germano* favebant, hanc *Jesuitarum* insolentiam agrè ferrent, totum negotium Papæ commendârunt, ejusque auxilium implorarunt. Papa, utrique parti gratificaturus, decrevit, ut *Loiola* expectaret usque ad annum

num biffextilem , in quo ipfi diem intercalarem consecravit. Ob-
servandum autem de hoc *Jesuitarum* martyre , quòd primùm fue-
rit miles Hispanus , mox claudus & effrons Monachus , qui sæpius
speciosas mentis imagines à Diabolo habuit , qui eum frequenter
accessit , in formâ fictitii & oculati monstri præsensq; lætitiã , ab-
sens verò tristitiã attulit , uti contestatur *Del Rio in disquisit. Ma-
gic.* Huic itaq; Præstigiatori Pontifex secundum infallibilitatem
suam etiam locum inter sanctos benevolè concessit.

XIIX. Ne interim turbæ hoc in negotio denuò orirentur , de
remedio quodam circumspicientum erat. Tutissimum autem visũ
est , ut posthac lectiones componerentur , quæ martyribus plurib9
convenirent , certisq; diebus , qui ipsis divinis sacri haberentur , inter
haras Canonicas recitarentur , atq; ita horæ istæ Deo quidem offer-
rentur , sed in sanctorum honorem. Sic cultus sanctorum dedit cau-
sam pervertendi horas Canonicas : Preces autem composuerunt
novas , in quibus quædam mutuati sunt ab his canonicis horis , easq;
cum primitus ad laudandum & exorandum Deum , populumq; æ-
dificandum institutæ fuissent , ad cultum idololatricum deprava-
runt , dum non solum Deum , sed etiam sanctos in horis Canoni-
cis religiosè colunt , atq; in honorem eorum multa capitula ex le-
gendis sanctorum recitant.

XIX. Sextum requisitum fuit ex errore illo , quo virtutes ju-
vandi pro diversitate afflictionum inter sanctos suos distribuunt ,
qua de re supra §. XIII. egimus Ut igitur cuilibet constare queat ,
qualis cura huic vel illi sancto sit demandata , pingitur ejus imago ,
addito certo quodam lumine , in signum gloriæ , quam in cœlo ha-
bet , ut à quolibet cognosci queat , in quonam calamitatis genere hic
vel iste salutariter invocari debeat. Solent hanc ob causam imagi-
nes istæ depingi in frontispiciis templorum , ut , qui ingrediuntur ,
admoniti imagine ibi depictâ , recordentur martyris illius , eumq;
in illo loco , tanquam Patronum colant. Non autem solum ima-
gines depingunt atq; in templis collocant memoriæ causa , sed et-
iam , ut invocentur. *Bellarminus* enim l. 2. de imag. c. 21. contendit ,
imagines non modò venerandas esse per accidens sed etiam per se , &
proprie , ita , ut ipsæ terminent venerationem , ut in se considerantur. In
eo autem animum suum subdolum prodit , quando subiungit , quã-
tum ad modum loquendi , præsertim in concione ad populum , non esse
dicendum , imagines ullas debere adorari latriâ , sed è contrario , non
deber

debere sic adorari. Quamvis verò *Bellarminus acerrimus sit propug-*
nator εἰκονολατρίας, fatendum tamen ipsi est, cultum hunc in V.
 T. fuisse inauditum. Ratio autem, quam subiungit, nimis est frigida
 nempe, quòd ante Christi adventum sancti, qui moriebantur, non
 intrârunt in cœlum, nec Deum viderint, nec cognoscere potuerint
 ordinariè preces supplicantium, ideo non fuisse consuetum in V.
 T. ut diceretur: *Sancte Abraham, ora pro me*. Rectiùs sanè *Polyd.*
Verg. sentit, *omnes fermè patres hunc ritum damnasse, ab metum*
idololatriæ, quæ nullum execrabilius scelus esse potest. idem quoq; *lib.*
II. c. XXIII. demonstrat, hoc ab ethnicis & Judæis esse profectum.
Lactantius etiam tales idololatrias falsè ridet *lib. II. instit. cap. II.*
 Quisquamné igitur tam ineptus est, ut putet, aliquid esse in simula-
 cro Dei, in quo ne hominis quidem quicquam est, præter umbram?
 &c. Adorant ergo insensibilia, qui sentiunt, irrationalia, qui sa-
 piunt, exanima, qui vivunt, terrena, qui oriuntur è cœlo.

XX. Tandem etiam ad consecrationem sanctorum requirunt,
 ut reliquiæ ipsorum pretiosis thecis includantur & publicè hono-
 rentur. Prolixus nobis hic differendi daretur campus, de nugis atq;
 mendaciis, quæ passim in Papatu de imaginibus atq; reliquiis cir-
 cumferuntur, si tempus pateretur. Instituunt peregrinationes ea-
 rum causâ, patrocinium sanctorum coram illis implorant, osculân-
 tur, flectunt genua, adorant eas, putant enim cultum reliquiarum &
 imaginum ad gratiam & peccatorum indulgentiam impetrandam
 aliquid valere, portant eas ex fiducia ad Deum & sanctos in collo,
 quia tactus earum quodammodò sanctificet: exonant fertis, coro-
 nis, vestibus, circumgestat, erigunt iis altaria, accendunt candelas,
 præstant iis vota atq; juramēta, varia deniq; de iis narrant miracu-
 la, quæ hic recenseri non possunt; quam plurima collegit *B. D. Klo-*
tzius de sudore Christi sang. Exerc. XIII. §. II. seqq. p. 115, qui p. 125. hanc
 de iis subnectit ἐπιχειρίων: *Non negamus, interdum ejusmodi prestigias,*
quòd statua sanguinare aut lachrymari visæ fuerint, contigisse, sed aut
piæ fraudes, Monachorum artificio paratæ, aut demonum stratage-
mata fuere, quibus iconolatriam & lipsanolatriam in superstitiosis ho-
minum animis, contra expressum Dei verbum magis magisq; firmare
conatus est. Non quidem penitus negari potest, fecisse Deum in-
 terdum quædam miracula ad præsentiam reliquiarum, prout olim in *Elisei*
factum sepulchro, 2. Reg. XIII, 21, idq; partim ad confirmandam fidem, partim
 ad demonstrandum ethnicis, homines illos, quorum corpora ibi jacebant, non
 fuisse maleficos, sed sanctos, & revera à Deo missos. Verū hæc nihil habent com-
 mercii cum Papistis, qui, uti sanctos, ita etiam miracula fingunt, ad roborandam
 non veram fidem, sed idololatriam Sic *Christophorum Magnum* nunquam
 in rerum

in rerum natura extitisse, multi è Scholâ Pontificiâ fatentur, & tamen passim
ejus miracula recensentur. Hinc in ejus honorem tale circumfertur elogium:
*Christophore sancte, virtutes sunt tibi tanta, qui te manè vident,
Nocturno tempore vident. Christophori sancti speciem quicumq; tue-
tur, Ista nempe die non morte malâ morietur.*

De reliquiis ipsis, ut aliquid dicatur, tempus non permittit, notum
enim est, unam rem pluribus in locis ostendi atq; coli. Unum atq;
alterum tñ, referam. De *Apollonia* dentibus aliquot tonnas in Re-
gno *Angliæ*, tempore *Eduardi* Regis, dentib; laborantis, conquisitas
esse, *B. Chemniti*us refert, *P. IV. Exam. Concil. Trid.* Similiter de *S. Pe-
tro* perhibetur, quòd integer *Romæ* in *Vaticano* servetur, dimidiatus
tamen invenitur in *via Ostiensi*, pars quædam *Constantinopoli*, caput
Romæ in *Basilicâ Lateranensi*, pars capitis in Ecclesiâ *S. Praxedis* bar-
ba *Pictavi*, cerebrum *Genevæ*; quod quidem pumicem fuisse, post
deprehensum est; uti hæc omnia facilè probari possent, ex variis au-
toribus, iisq; Pontificiis, si locus id permitteret.

XXI. Non autem insania Pontificiorum circa cullum reliquiarum ac-
quiescit, sed etiam instrumenta crudelitatis reliquiis accensent. Sic à Christi
cruce, in festo exaltationis crucis petunt, quod à solo Deo efflagi-
tandum, his quidem verbis: *O crux ave, spes unica, auge piis justi-
tiam, reisq; dona veniam &c.* Mirandum autem est, cur non carnifices ipsos
religioso cultu adficient; si enim instrumenta carnificum sunt invocanda, cur
non potiori jure carnifices ipsi instrumentum enim operari non potest, nisi
ab efficiente elevetur. Sed, fortè hoc non adeò absurdum videbitur *Jesuitis*.
Bressero n. non est peccatum, adorare diabolũ casu, quo appareret spe-
cie crucifixi, quia nec tũm diabolus, sed ipse *Christus* adoratur: *lib V. de
conscient. cap. XII.* Ad eundem modum dicere possent *Jesuitæ*, non esse ab-
surdum, adorare carnificem, casu, quo appareret, ut executor justitiæ, quia tunc
non carnifex, sed ipsa justitia Dei adoraretur.

XXII. Hæc sunt requisita illa, quæ, si adfuerint, consecratio legitima cen-
setur, quamvis ne sic quidem certi esse possint de beatitudine sancti. Fuerunt
enim Pontifices, qui asseruerunt, posse se sanctum per summam potestatem,
quam in cælo atq; terrâ habent, è *Paradiso* ereptum in infernum ablegare. Sic
sancti Pontificiorum, ut lapsu graviore cadant, tolluntur in altum. Semper
itaq; ut ancipites hæreant in invocatione necesse est, fieri enim potest, ut ali-
quem invocent, quem dudum Pontifex è cælo ejecit. Manet interim illud;
Multi venerantur in terris, quorum animæ sepultæ sunt in inferno, quod con-
firmat *Jus Canon.* & ipse *Bellarmin.* qui l. 3. de *Eccl. c. 10.* scribit; neminem certum
esse posse an ullus *Patrum* (quos tamen sanctos vocant) veram fidem in corde
habuerit. Aut itaq; suam ignorantiam aut malitiam prodit *P. Schönemann/
dum ad Deum provocat, se nuquam hæc legisse. Nos ob pagellarum au-
gustiam pedem hic figimus.*

05 A 2288

ULB Halle 3
003 783 448




VDM

sch







בשם ה' הקב"ה:
DE

PONTIFICIO-
RUM RITU CON-
SECRANDI SANCTOS,

DISSERTATIONEM,
Adspirante Numine Sanctissimo,

in

Illustri Leucoreâ,

PRÆSIDE

M. LEVINO FRID. WERNECCIO,

MARCH.

publice placideq; Eruditorum συζητησει

exhibebit

RESPONDENS,

NICOLAUS CONRADUS BZESSEI

Weiffenseensis Thuring.

A. D. I. Junii, horis antemerid.

Anno M DC. LXXVIII.

In Acroaterio Collegii Veteris.



WITTEBERGÆ,

Literis JOHANNIS WILCKII.